



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

33. Iudicium evindicatum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

*Si quando masculus & femina pariter raptum consenserint, infra quin-
quennium litigetur.*

XXXII. Notitia sub quorum præsentia ibi veniens ille ante illum vel eos qui subter tenentur inferti, ibique accusabat aliquem hominem nomine illum eò quòd aliquam feminam nomine illam jam anno expleto sine diffinitione parentum, vel sine ejus clamore aut vociferatione, eam volentem rapuisset, atque in conjugio sibi malo ordine contra legem & justitiam sociasset, qui jam dictus ille & præfata illa hoc denegare non potuerunt; sed in omnibus taliter fuerunt professi, quòd ambo pariter consentientes, sic ab eisdem actum vel perpetratum fuerat. Tunc ipsi viri qui ibidem aderant, tale dederunt iudicium, ut secundum legem Romanam pro hac culpa ambo pariter vitæ periculum incurrisent, vel sententiam mortis ob hoc scelus exceperent. Sed intervenientibus bonis hominibus taliter eis convenit ut jam dicti homines pro redemptione vitæ eorum vadios suos jam dicto illo unusquisque pro solidos tantos dare deberent, quod ita & fecerunt, & hoc placitum institutum, quod evenit tunc temporis, hoc debeant defolvere, unde & fidejussorem pro ipsis solidis aliquem hominem nomine illum obligaverunt. Propterea necesse fuit ipsis ut hanc notitiam exinde accipere deberent, quod ita & fecerunt, ut si necessitas evenerit, omnibus sit manifestum qualiter supradicti homines infra quinquennium ab hoc scelere convicti vel comprobati apparuerunt.

Iudicium evindicatum.

XXXIII. Ille Rex vir inluster illo Comite. Veniens ille in nostra vel procerum nostrorum præsentia suggestit eò quòd aliquis homo nomine ille pagensis vester eum in via malo ordine adfallisset, & res suas ei tulisset, vel graviter ipsum livorasset, & ob hoc vobis per nostram ordinationem iussimus ut datis fidejussoribus Kalendas illas ex hoc in nostra præsentia debuissent adstare ratiocinantes. Sed memoratus quidem ille per triduum suum custodivit placitum, & jam dicto illo secundum legem adjectivit vel solavit, qui nec sona nuntiavit, nec suum placitum adimplevit. Propterea omnino tibi iubemus, dum tales vobis datos habuit fidejussores, & placitum suum nullatenus custodivit, ut quicquid lex loci vestri de tali causa edocet, vobis distringen-

tibus memoratus ille partibus istius componere & satisfacere non recuset.

Epistola Abbatis vel rectoris Ecclesie.

XXXIV. In Dei nomine quamquam peccator Abba dilecto amico nostro illo. Dum & omnibus habetur percognitum qualiter tu rem proprietatis tuæ illam accepta pecunia de thesauro ipsius sancti per venditionis titulum distraxisti, unde & precariam nobis ex hoc emisisti, & censisti te dare in luminaribus ad festivitatem ipsius sancti, hoc est tantum, ideo unà cum consensu fratrum nostrorum hanc epistolam tibi emittendam decrevimus, ut ipsum locum cum omni integritate unà cum Dei gratia & nostra voluntate absque præiudicio sancti illius diebus vitæ tuæ usualiter tibi liceat tenere. Et post tuum quoque discessum ipse locus cum omni integritate vel re emeliorata vel supraposito partibus nostris vel ipsius basilicæ revertatur, quam epistolam manu propria subter firmavimus.

Donatio ad Ecclesiam post obitum.

XXXV. Lucrum maximum credimus animarum, si dum unusquisque corporibus motibus terram inhabitat, pro amore cogitet domus æternæ, vel amore temporalium rerum sperandarum sibi cumulet munimina divitiarum, aut certè si id quod remanendo perire poterat in seculo, in alimoniis pauperum vel loca distribuatur sanctorum Dei. Quamobrem ego in Dei nomine ille pertractavi tam de Dei parte, quam & reverentia sancti illius civitatis, ubi ipse pretiosus Dominus in corpore requiescit, seu animæ meæ remedium ad sacrosanctam basilicam sancti Domni illius, ejusque congregatione, ubi ille Abba vel rector præesse videtur, dono donatumque in perpetuo esse volo, hoc est, villam rem proprietatis meæ nuncupantem illam, sitam in pago illo, super fluvium illum, in condita illa, cum omnibus adjacentiis vel appendiciis suis, quantumcunque ad ipsam villam aspicere vel pertinere videtur, vel quantumcunque inibi præfati tempore mea videtur esse possessio, totum & ad integrum per hanc donationem tibi trado atque transfundo, eo videlicet modo ut dum ego in caput advivo, ipsam villam cum omni integritate usualiter sub prætexto ipsius basilicæ tenere & usurpare faciam. Post meum quoque discessum ipsa villa cum omni integritate vel supraposito, hoc est, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis,